

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0761

0759

0765

0755

0770

impressa. His visis reingressi sumus ecclesiam ad umbram, (B) et protulerunt duo illi monachi catenam unam, quam dixerunt esse illam, cum qua S. Georius vincitus tentus fuerat. Hanc catenam deosculati sumus, eaque colla nostra cinximus praे devotione. Sed et ipsi Saraceni eam plurimum venerantur, sicut et vestigia equi in rupe, et nonnumquam ad tactum illius catenae infirmi restituuntur sanitati apud Saracenos. Miro etenim modo omnes orientales S. venerantur Georium praे ceteris sanctis, et in ejus honorem sunt quasi omnes ecclesiae schismaticorum consecratae. Deinde portaverunt nobis duo monachi illi paximacos et aquam et salem, et fecimus collationem cum eis, et libenter communicassent nobis omnia, quae habere potuissent, quamvis schismatici essent. Comedimus ergo et bibimus in ecclesia illa et bene refrigerati fuimus, et quasi duabus horis ibi mansimus et monasterii ruinas diligentius lustravimus.

0750

0810

0710

0860

0660

0260

### De aqua, in qua eunuchus fuit baptizatus.

A loco illo nos consequenter movimus, et in progressu ad clivum quandam venimus, de quo aquae vivae in pluribus locis emanabant, quod tamen rarum est in terris orientalium. Supra in alto vidimus ruinas rupti castri, quod antiquitus dicebatur Bethsura, et erat firmissimum fortalitium, de quo dixi fol. 189 B. De quo contra vallem fertilissimam processimus non remote a domo Zachariae, de quo dictum est folio ubi supra. In illa valle vidimus multa domicilia et hortorum viridaria, consita sicolneis, vitibus et olivis. Tandem autem pervenimus ad ripam viventium aquarum, quae de saltu erumpunt et per viam cum impetu in vallem decurrunt. Ascendimus ergo per viam usque ad locum, ubi emanant, et ibi invenimus ruinas magnas destructae ecclesiae, quae tempore Christianorum ibi stetit. Est enim ibi locus ille, ubi Philippus baptizavit Aethiopem, eunuchum Candacis reginae, ut habetur Actor. 8. Erat enim Candace regina Aethiopiae, quod regnum non nisi per foeminas regebatur, et omnes reginae dicebantur Candace, sicut omnes reges Aegypti dicebantur Pharaones, et omnes Romanorum imperatores dicebantur Caesares. Sunt,

Ende

Anfang

